



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Mercimonialis societas duobus casibus est illicita.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41716

Simulatio. 517

requiruntur: quoniam pro huiusmodi simonia sufficit delinquentibus per solam poenitentiam suo satisfacere creatori. Textus est clarus & vniuersalis ac vniuersaliter intelligendus. extra de simonia. cap. vltim.

Et hinc habes vnde infinitas quaestiones de seruitoribus, de precibus carnalibus, &c. soluas: quia hinc clarè pater non teneri ad resignationem beneficiorum sic adeptorum absque pacto aliquo, nulla facta differentia inter manum, obsequium, linguam, & quicquid aliud temporale interuenire potest, & similiter nulla facta differentia spiritualium.

Mendacium & simulatio equiparantur.

Simulatio qua homo mentitur facto, peccatum est: sicut mendacium quo mentimur verbo. Est autem peccatum veniale, si iocosa aut officiosa est, mortale autem si perniciosa: sicut de mendacio dictum est, & eadem ratione.

Mercimonialis societas duobus casibus est illicita.

Societas mercaturæ seu artificii illicita redditur duobus modis. Primus, si capitale vnus subster lucro & non damno: hoc enim constat iniquum esse. Secundus est, si lucrum aut damnum non respondeat proportionabiliter sociis vnicuique pro rata sua, interueniret siquidem manifesta iniquitas, dum non redderetur vnicuique quod ei debetur secundum æqualitatem iustitiæ. Et quoniam in huiusmodi societatibus frequenter contingit diuersarum rationum concurrere socios (dum vnus ponit pecuniam & alius operas seu industriam) nec par est vtriusque periculum: ideo aduerte & nota diligenter quod societas huiusmodi, ex sua natura hoc habet quod ponens pecuniam

518 Societas mercaturæ.

niam substat duplici periculo: scilicet perditionis pecuniarum, & perditionis negotiatorii usus eiusdem pecuniarum, qui verò ponit industriam seu operas suas, substat vni tantum periculo, scilicet perdendi vsum industriæ seu operarum suarum. Quod vt melius intelligas, considera triplicem euentum societatis, aut enim in fine inuenitur lucrum, aut sine lucro capitale tantum, aut damnum capitalis in toto vel in parte. Et siquidem inuenitur damnum capitalis in parte vel in toto, sentiret quicquid damni est dominus pecuniarum, qui illam posuit. Si verò capitale tantum inuenitur, saluum erit domino eius qui illud posuit: nam ex eo quòd posuit pecuniam in societatem, nõ desint esse illius dominus. Si autem lucrum inuenitur, reddetur ante omnia capitale domino, & diuidetur deinde lucrum æquis portionibus: supposito quòd pecunia posita in societate, & industria æquiualeant. Et omnium horum vna est ratio: quia scilicet qui posuit pecuniam, substat duplici periculo, scilicet perdendi substantiam pecuniarum, & perdendi negotiationis vsum, tenendo scilicet vanè tanto tempore suam pecuniam occupatam tali negotio: ex hoc enim fit vt iustitia exigente ei capite saluum sit, si saluatur in toto vel in parte, cui deperderetur si periret. Ponens autem industriam vel operas, quia solum potest perdere vsum industriæ vel operæ suæ (scilicet in vanum laborando) ideo nihil de capitali saluo ei debetur, substantia namque operarum suarum non ex negotiatione, sed ex necessitate materiæ perit, quia scilicet est res successiua in motu consistens, si enim res permanens esset, ei essent saluæ. De societatibus autem in materia animalium quæ foecidæ appellantur, tam varia est materia & consuetudo, vt fortè scribi completè nõ possit. Et propterea in quilibet patria vide vt ibi fieri consuevit à viris probis,
vel

vel secundum morem approbatum à viris probis.

Peccatum Sodomiticum grauisimum.

Sodomia, qua contra naturam venerea exercetur (vel dum commiscantur personæ eiusdem sexus) puta mares inter se, aut mulieres inter se, vel dicitur commiscantur mas & mulier, sed non in loco naturali, aut consummando innaturaliter, peccatum grauisimum est.

Observatio somniorum diuersis respectibus est illicita.

Somniorum observatio quadruplici peccato explicite, & quinto periculo afficitur. Prima duo peccata sunt in opinione dum somnium vel temerè attribuitur alicui certæ causæ, puta celo: quia quum possit à multis causis provenire, temerarii erroris est vnam determinatè inferre. Vel temerè determinatur ad futurum vnum aliquid significandum: ex eo enim quod nascitur causa somnii, incertum oportet restare an somnium illud futurum significet: quoniam ex causa pendet significatio, & nullum videretur somnium procedens ex certa causa quod non possit ab alia causa provenire: & propterea semper temerarium inuenitur iudicium si vt certum fiat. Vtrunque autem peccatum veniale est: vtpote iudicium temerarium de re singulari in nullius damnum. Tertium peccatum est in usu, quum quis propter somnia committit vel omittit contra necessitatem ad salutem: & hoc est peccatum mortale, vt patet. Quartum peccatum in usu quoque est, quum quis tantam fidem dat somniis vt propterea omittat vel committat contra aliquid ad quod tenetur, quamuis non sit de necessitate salutis illud: & hoc est peccatum veniale, quia non contra, sed præter charitatem, & erratur in intellectu, & peccatur in effectu. Periculum autem quod imminet

omnibus